



Theodoricus à teneris annis literis operam dedit, & in academia Marpurgensi magnam sibi eruditionem comparauit. Postea sacris literis incubuit, & earum usum sibi familiarem fecit. huc accedebat & pietatis amor, & explicandi uerbi Dei dexteritas. Itaque Philippus Cattorum princeps 1533 mense Decembri hunc Theodoricum rogatus senatus Monasterium mittit, ut Euangelium doceret, & Anabaptistas erroris cōuinceret. Ibi strenue ciues admonuit ut ab Anabaptistica doctrina sibi diligenter cauerent, & à melle ueneno lito abstinerent. Postea quoq; cum Rotmanno Anabaptista publice disputauit, & egregie uicit. In hoc quidem studio is feliciter decurrit & permansit, donec Anabaptistæ multis suorum in urbem plectis superiores fierent, & reliquos ex urbe pellerent. Tum etiam & Fabricius insanos homines reliquit, & in Hafsiam ad suos redijt.